THEATRVM



MVLIERVM


LIBRARIÆ UNIVERS
JAGELL CRACOVI



Gynæceum, *Siue*

THEATRVM MVLIERVM, IN QVO PRAECIPVARVM OMNIVM PER EVROPAM IN PRIMIS, NATIONVM, GENTIVM, POPVLORVMQVE, CVIVSCVNQVE

dignitatis, ordinis, status, conditionis, professionis, ætatis, fœmineos habitus videre est,

ARTIFICIOSISSIMIS NVNC PRIMVM figuris, neq; vsquam antehac pari elegantia editis, expressos à

IODOCO AMANO.

ADDITIS AD SINGVLAS FIGVRAS SINGVLIS octostichis FRANCISCI MODII BRVG.

OPVS CVM AD FOEMINEI SEXVS COMMENDAtionem, tum in illorum maximè gratiam adornatum, qui à longinquis peregrinationibus institutæ vitæ ratione, aut certis alijs de caussis exclusi, domi interim variorum populorum habitu, qui est morum indicium tacitum, delectantur.





M. D. LXXXVI.

Francoforti, Impensis Sigismundi Feyrabendij.

AD
SERENISSIMAM
ISABELLAM AVSTRIACAM GALLIAE REGINAM.



ESTEM QVI MORTALIVM HVIVS aut illius generis, quo hodieque vtimur, primi sibi fecerint, serenissima Regina, vt inter auctores non satis videtur constare, vnoquoque ad suæ gentis nationisve homines laudem inuentionis huiusmodi trahente: ita illud extra controuersiam esse opinor, primum parentem adeo in paradiso adhuc cum coniuge sua diuersantem quidem, sed post datæ legis iam transgressionem, tegmina ex arborum folijs sibi aptasse, donec horto illo deliciarum eiectus, firmiora aduersus frigoris inclementiam præsidia circumspicere coactus, rhenonibus, hoc est, rudibus ferarum, pecorumue pellibus vti cœpit, quod haud dubie vestimentorum in posterum exemplar exstitit. Nam quòd Eusebius ait, in de præparatione Euangelica, qua parte de Phœnicum rebus scribit, Vsonem nescio quem Siculum primum corporibus tegmina ex pellibus ferinis confecisse, id verò ego ad Phœnices dumtaxat pertinere statuo, pelliceis, vt dixi, tunicis iam multo ante ab ipso protoplasto repertis, aut verius vt loquar, & sacrosanctis voluminibus congruentius, protoplasto ab ipso omnium bonorum auctore Deo Opt. Max. ad vsum liberaliter attributis. Similisque adeo est lini ratio, cuius inuentionem cum libro VII. Plinius Arachnes Lydiæ puellæ beneficium traderet, ignorabat nimirum eiusdem vsum Hebræis multò tantò ante Arachnem natam fuisse, vt cæterarum quoque rerum, quarum tamen munus ab eodem Plinio alijsque scriptoribus prophanis modo huic, modo illi attribuitur. Vt lanificij peritia, & texendi ars ab Ouidio Palladi, aut quod ferè perinde est, à Trogo seu Iustino potius Atheniensibus Palladis cultoribus, à Plinio AEgyptijs. Sic Fullonia qua vestimenta curantur & poliuntur cuidam Niciæ Megarensi, Sutoria Boethio nescio cui, acu pictæ vestes Phrygibus, vnde Phrygiones earum artifices, diuersicolores Babylonijs, vndulata Caiæ Cæciliæ quæ & Tanaquil, Dalmatica pretiosissima Dalmatis populis, vt contra cilicium vilissima vestis Cilicibus à Varrone, Trogo, Diodoro, eodemque Pli-

nio adscribuntur: sola ferè serica, quæ hodie nihil vulgatius, posterius & inuenta & ad nos diu parcius transmissa: cum vel Aureliani Imperatoris tempore, Vopisco auctore, hoc est, anno à generis humani salute CCLXXIV. sericum auro expenderetur. Vnde & modestissimus ille Princeps holoserica veste sibi abstinendum putauit: donec Iustiniano Principe, vt ex Procopio discimus, hæc quoque paullatim vulgarior, ac per hoc vilior esse cœpit. Ab his initijs vsus vestium ortus paullatim eò peruenit, vt iam cultus sui operoso instrumento laborare videatur: quotidie noui aliquid excogitantibus ijs artificibus, quorum opera omnis harum rerum cupidis, & in ijs præcipuè elegantioribus fœminis lenocinatur. Qui sexus cùm natura ipsa ad hoc studium, & mundiciem pronior sit, etiam virorum, si verum fateri volumus, quibus sordebant illæ, quæ formæ proprium & peculiare bonum non arte aliqua, & vestis gratia adiuuarent, inmodestia adactus est eò descendere, vt ornatus comptusq; sui vel primam rationem haberet, viros hoc quasi illicio in sui amore, & admiratione retenturus. Non omnino pessimè hoc quidem, etsi superfluè, ac superstitiosè: si hic illecebræ illæ constitissent: sed postquam ne sic quidem contenti proprijs coniugibus quidam, ad vicinorum vxores, alienæ pudicitiæ subsessoribus oculis malè vtentes, animum adijcere cœperunt, inuentæque adeò sint, quas iuuaret non tam viris suis, quàm vicinis formam suam probare: Ilicet, in præceps vestium licentia boni mores acti sunt, euenitq;, vt nulli rei magis quàm huic disciplina quadam opus esset. nam etsi, vt rectè ait Cyprianus de habitu virginum, ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruant, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est, coactæ sunt tamen, vel potius coactæ videri voluerunt etiam pudicæ alioqui, impudicarum in hoc vestium luxu morem seu errorem potius imitari, tanquam similib. vti dictum est, illecebris maritos retenturæ: quarum sanè studium prima fronte venia non indignum, grauissimè increpat seuerissimus censor Tertullianus, his ferè verbis: Age nunc, inquit, si ab initio rerum & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerent, & margarita canderent, & ceraunia coruscarent: si ipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodisset, si iam & speculo tantum mentiri liceret, hæc Eua concupiuisset de paradiso expulsa, iam mortua opinor? Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse, si cupit reuiuiscere, quæ nec habuerat, nec nouerat, quando viuebat. Ideo omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. & rursum: Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundũ muliebrem vocant, Ornatum, quem immundum muliebrẽ conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gẽmis, & vestibus

vestibus deputatur: Iste in cura capilli, & cutis, & earũ partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: vt iam hinc prospicias dei ancilla quid ex his disciplinæ tuæ conueniat, quæ de diuersis institutis censearis, scilicet humilitatis, ac castitatis. Itemq; alibi: Terra scilicet gloriosior planè, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata, nomen terræ in igni reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de supplicijs in delicias, de ignominijs in honores metalli refuga mutatur. quod imitatus videri potest eruditissimus theologus ex Plinio, qui quamuis ethnicus, atque adeo atheus, luxui huic iratus: Penetramus, ait, in viscera terræ, auri argentique venas, & æris ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam, & quosdam paruulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis, viscera terræ extrahimus, vt digito gestetur gemma, quam petimus. quot manus atteruntur vt vnus reniteat articulus? Si vlli essent inferi, iam profecto illos auaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodissent. Breuissimis ergo, vt pergit idem Tertullianus, loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sestertiûm inseritur. Saltus & insulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & in sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare. quem eundem luxum mox vt ineptum ridens, vtpote cum aurum & gemmæ, quæ tanti à matronis fiant, vilia & contemnenda sint multis. Apud Barbaros, inquit, quosdam quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent: & diuitijs malos onerant tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando re vera inuentum est, quomodo & aurum non ametur. Gemmarum quoq; nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum, cæterorúmque gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem fere habentur. Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit: & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. Deniq; tantum gemmatum habent, quod gemmatum esse non debet, si non comparet, aut ideo comparet, vt neglectum quoque ostendatur. Proinde & vestium de coloribus honorem serui etiam eorum ferunt. Sed & parietes Tyrijs & hyacinthinis & illis regijs velis, quæ vos operosé resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Vilior est apud illos purpura quam rubrica. Quis enim est vestium honor iustus, de adulterio colorum iniustorum? Non placet deo quod non ipse produxit: nisi si non potuit purpureas & earinas oues nasci iubere. Si potuit, ergo iam noluit: quod Deus noluit, vtique non licet fingi. Non ergo natura optima sunt ista, quæ à deo non sunt, auctore naturæ. Sic à diabolo esse intelliguntur, interpolatore naturæ. Postremo igitur iubet Christianas fœminas

XXV. milia sunt coronatorum.

hæc talia ethnicis & infidelibus relinquere, & illa pergit, hoc luxu viris suis placere studeant, vos prodite medicamentis & ornamentis exstructæ apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem dei, adnectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ deum habebitis amatorem. Quæ tamen cum rigidiora fortasse, & ad illas solas pertinere videri possint: quæ se Deo deuouerunt, quin ad omnes in genere referantur, dubitari non potest, maximè cum alibi quoque dicat, salutem in exhibitione præcipuè pudicitiæ consistere, quod cum omnes templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, eius templi æditus & antistes pudicitia sit, quæ nihil immundum nec prophanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus relinquat, subiungens porro, pudicitiam hanc non ex carnis tantum integritate, sed cultus & ornatus etiam ratione existimari, ideoque in ethnicis fœminis veram pudicitiam non esse. Quorsum tamen hæc tam multa inquiet fortasse aliquis? nimirum eo, vt ostendam iam olim vsu receptum, vt fœminæ cultui corporis sui indulgerent impensius: sic tamen, vt hodieque maximè illæ probentur, quæ vt in alijs omnibus, hic quoque modum sibi tenendum existimarunt. In quibus etsi nullam nationem, gentemve insector, scitum est enim alios alijs regionibus mores, aliam certa de causa tantum non vitam conuenire, ita moderatore omnium rerum deo iubente, vt peculiaria quædam gens quælibet habeat, in quibus inquam temperatioribus & modestiorib. familiam ducere laudatissimas Germaniæ fœminas, vel ex hoc spero exiguo libello satis superque constiterit, cuius ego magnis sumptibus editionem artificiosissimis figuris illustratam, & exornatam cùm adornassem: exemplar quoddam pudicitiæ, & omnium virtutum quærendum mihi existimaui, cui, vt olim castissima fœmina semel matronarum sententia iudicata est Sulpitia, Paterculi filia, vxor Fuluij Flacci, electa ex centum primarijs, quæ simulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret, ipse quoque, non inconueniens moribus eius incæstum aliquod, certe deæ incæstæ, signum, sed totius Europæ fœmineos habitus donarem, consecrarem. Et repperi sane non difficulter, quod quærebam: simul ad te, serenissima regina, oculos animumque conuerti: cui lubens merito iampridem non dico iam à Romanis, sed à totius orbis, Europæ certe nostræ fœminis pudicitiæ & castitatis principatus ita defertur, vt vno ore fateantur omnes: Isabellam Austriacam eam esse demum, ad cuius se mores bonæ & pudicæ huius nostri æui conformare iure debeant. Quali fœminæ nisi hoc theatrum meum sacrum esse vellem

te, laudatissimo sexui exemplum, in quod intuens, bene & præclare vitam instituere queat, inuidisse videri possem: cum, quamuis castas plurimas, nullius enim laudibus detractum volo, præterea nostra habeat Germania, nescio quomodo tamen magis nos moueant virtutes huiusmodi in illustri & Principe persona relucentes, vel iuxta tritum illud, quo se subditi sanè quam lubenter ad regum suorum quasi imaginem effingere dictitantur. Addo ad hæc quod cum hic de Imperatricibus agatur, tu Imperatoris, neque aut leuium Constantinopolitanorum, aut impotentiũ Trapezuntiorum vmbratilis Imperatoris, sed sacri Romani imperij monarchæ occurris filia, neptis, soror: mater etiam fortassis futura, nisi te diuinæ illæ tuæ rationes, quas iamdudum vniuerso humano generi approbasti, à matrimonij vinculis in posterum abstinerent, & deo totã quanta, quanta es, assererent: cum agatur de reginis, tu es vnica illa & laudatissima non ignobilis alicuius regni, sed supra quod nullum est, imo cui nullum æquari potest, Galliæ regina, cui nulla alia quoque regina par nulla alia secunda est. Iam de virginibus loquimur, de sponsis, de nuptis, de viduis, de velatis mulieribus seu deo dicatis? tu virgo, sponsa, vidua & tantum non vnicæ sacræ lectioni, & meditationi addicta exemplum es cuiuis ætati, ordini, statui, ad quod se componant, & mores suos exigant: dumtaxat, quæ & vitæ cursum inoffensum tenere hic, & post eius decursum stadium, æterna cum deo creatore suo beatitudine defrui optant. Accipe igitur, potentissima, & serenissima regina, alacri animo hoc paruum nõ parui erga maiestatẽ tuam studij mei, & deuotionis munus: ac, cum aliæ à libris sibi inscriptis formam accipere soleant, tu contra, quæ Genij tui felicitas est, huic libello de te famam largitor, & deo pariter hominibusque fauentibus diu virtutum tuarũ plurimarum & maximarum fructib. amplissimis lætare, ac vale. Francoforti ad Mœnum ipsis Kalendis Martijs anni M. D. XXCVI.

Serenissimæ Maiestati tuæ

devotissimus

Sigismundus Feyrabendius ciuis & Typographus Francofurtensis.

Imperatrix.

AVgustos habitus veneror, vultusq; serenæ
Quos maiestatis tam bene complet honos:
Auguror & si quid credendum vatibus, oris
Haud aliter cœlum luce hilarare sui,



Quæ magni incedit germana, & nupta tonantis:
Una hominum regnum quæ tenet, una Deûm.
Regnum hominum dixi? fallor: prima illa dearũ est.
Diuiso imperio hæc regnat in orbe suo.

Regina

Regina Galliarum.

HVmanam sortem facies tam bella timebit?
Verè hà crudeles in sua dona Deos.
Debuerant ora hæc communis nescia legis,
Qua patimur fati tempora quisq; sui:



Debuerant vultus hac maiestate sereni
Æternum humanos exhilarare Joues.
Stamina Parcarũ nimis improba, & inuida, in ipsas
Reginas vobis ius quis habere dedit?

B Regina

Regia progenies, & regi nupta marito,
Sic positis prodit suspicienda comis.
Nec male conueniunt tali fastigia formæ
Regia, regalis lucet in ore vigor.



Torqui qui cingit collum sudauit Hydaspis
Accola, qui & Nili à flumina fonte bibit.
Huic torqui Ganges misit sua munera, & Indus,
Huic quæ sub sero sole fluenta rigent.

Pascua Geryonis non traxere Herculis arma:
Nec tamen in vanum hæc fabula ficta iocum est.
Fœmina Geryonis tali spectabilis ore
Mouit amatorem vt sumeret illa Deum,



Et digna ista fuit me iudice, iudice & illo, est
Cuius tantilla in pectore mica salis.
Tres animas propter quam rex efflaret Iberus,
Herculis indueret quater in arma manus.

Princeps fœmina Germanica.

SI foret in cunctis hæc cultus cura modesti,
Quáq; arat Eous, quáq; arat Hesperius:
Fœmina non census portaret corpore auorum,
Quorum sub titulis obruta regna iacent.



Disce hinc exigua quæ mutas pascua gemma
Mille boues herbis pascere sueta suis:
Disce pudicitiam cunctis præponere gemmis,
Qua quæ comta sat est, gemmea & illa sat est.

Hispanica

Hispanica princeps fœmina.

NOn abs re lato defendimus ora galero
A radijs nobis, Phœbe moleste, tuis.
Quid tamen in nostris nimium dum perfuris oris
Improbus, auerso cardine lentus abes?



Illic te votis poscunt iuuenesq; senesq;:
Hic execrandus dum mihi semper ades.
An tibi iucundum est inuitas vrere terras?
Si pudor est, populos transi ad Hyperboreos.

Matrona

Matrona primaria Italica.

ITalicis hæc est notißima vestis in oris,
Cuius legitimo est subdita vita iugo.
Per fora, per plateas, tali procedit amictu,
Tali festiuos nupta aditura choros:



Estq́ quidē ille, neget quis enim hoc? dignißimus o-(mni
Parte, maritali quem gerat aucta toro.
Nil in eo tamen vt, me iudice, iure probari
Debeat hoc comptu liberiore magis.

Virgo ex illustri Fuggerorum familia.

VT natæ visa est comptu hoc Fuggera Diones,
Constitit ad roseas obstupefacta genas.
Constitit ad crinem donatum lambere vento
Zelotypo, & fluxas colla per alba comas.



Inter & hæc illi manibus cecidere remißis
Cingula, quis ipsum est vrere sueta Iouem.
Quæ simul inuasit virgo Fuggera, iam ab illo
Vrit amata homines, vrit amata Deos.

Fœmina Romana primaria.

ROmanos habitus cernis quicunq; stolatos,
Ne mirere, stola hæc quo admoneamur habet.
Instita longa pedes frustra nec tendit ad imos,
Matronam hæc talis, vittaq; stricta decet.



Adspice vt è collo carbunculus ardeat vtq; hic
Splendeat Armenius iuncto adamante lapis:
Sic dominas domina fas est incedere in vrbe:
Induuiæ exuuias pectoris orbis habent.

Princeps Fœmina Germanica.

PRincipe digna viro coniunx, & Principe quondã
Nata patre, ac Ducibus quæ celebratur auis:
Princeps Teutonicis sic fœmina prodit in oris,
Mores vultu ipso testificata suos.



In quo dum comis grauitas sic ludit, vt illam, &
Quam deames dignam, & quã venerere, putes:
Vtile miscendo dulci illa temperat arte,
Tetrica vti neque sit, sit neque blanda nimis.

Comes Germanica.

PAlmata est vestis, veterum gestamina regum,
Principibusq́; parē me quoque turba colit.
Est autem titulus comitis, quia nempe maritus
Ire comes magnis regibus vsque solet.



Regibus ætate hac etiam, nam tempore prisco,
Hic soli est habitus Cæsari & ipsus honos.
Sed seu Cæsaribus, seu regi proximus ille
Est meus, huic roseis vni eo compta genis.

Saxonica fœmina nobilis.

NObilitate mei non ignoranda parentis,
Clarior at clari nobilitate viri,
Inter Saxonicas fronte hac matrona puellas,
Saxonico incedo consociata toro.



Non tristis nimium, nimium non blanda marito,
Res scatet hæc vitijs, nec caret illa suis.
Inter vtrumque nitens comi at grauitate, sereno,
Nubem contractæ iungo pudicitiæ.

Misniaca matrona nobilis.

MIsniaca est pollens opibus de gente maritus,
Quæque viro, hæc eadē patria origo mihi est.
Ille foris tractat tractanda negotia, nostra
Ipsa mea sum pro parte operosa domi.



Felices thalami, felix concordia lecti,
Officijs his quem mutuus ornat amor.
Talibus auspicijs qui conuenistis in vnum,
Viuite ter fausto, fœmina, virq́ toro.

Franconica fœmina nobilis.

NVpta inter Francos, sed non de plebe, marito,
Hac se veste illi posse placere putat.
Nec, nisi iudicij fallor, matrona pudica
Frontis cultu alio conspicienda fuit.



Nam velut alterni ludunt in veste colores,
Inq; oculis grauitas, cætero in ore lepos:
Sic ornant animum virtutes plurimæ, & inter
Prima has legitimi cura pudica tori.

Palatina matrona nobilis.

AVla Palatini surgit quà celsa leonis,
Et famulis Rheni nobilitatur aquis:
Sic equitis coniunx, equite & prognata parente,
Ipsaq; nunc equitum. aut deinde futura parens:



Sic patrias exculta, inquam, spatiatur ad vndas,
Aurea sic festo tempore templa subit.
Rhene, quid exultas, glaucaq; emergis ab vlua?
Fallor, an hac visa cor tibi subsilijt?

SI recta facie incedo, ſi fronte pudorem
Sic teſtor, ſit ut hæc ſemi adoperta mihi,
Quid mirum? Ex toto tegitur Veſtale profeſſa
Caſtum, matronam libera vela decent.



Vela pudicitiam non excluſura, venuſtas
Nulli ut clauſa nimis ſit mea, aperta nimis.
Sumite ab Haſiacis Exemplum nobile nymphis
Matronæ: hac fuerat veſte tegenda Venus.

Misnensis virgo nobilis.

VIrgineos comtus agnosco, Misniæ in oris
Indicit quotiens gaudia festus Hymen.
Reticulo crinale decus cohibetur in orbem,
Quod decorant violis florea serta suis.



Quorum si memor es, virgo, haud oblita tuiq́;
Cuius sic properat perbreue forma bonum,
Veteris facie, quæ tam citò deficit, & iam
Iam sponsus, tibi nunc qui procus instat, erit.

Saxonica

Saxonica virgo nobilis.

NOn ego fucatæ cupiam contendere formæ,
Et commercatis ire superba comis:
Mollibus Italica hac faciem vultumq́; puella
Adiuuet arte suum complacitura procis:



Ipsa memor quæ sim, quîs in regionibus orta,
Sat duco ingenuum hoc comere more caput.
Mascula corda inter nimirum nata virago,
Prodibo infectis prodigiosa genis?

Franconica virgo nobilis.

FRanconicam ecce tibi at de nobilitate puellam,
Anni cui plena virginitate tument.
Annos aio? illud volui sic nempe, papillæ
Cui plena dudum virginitate tument.



Quæ si cui similis sit quæris, protinus edam: est
Talis Dictynnis nota Diana iugis.
Talis, sed positis, vestis cum fluxerit illi
Imos vsque pedes, in statione comis.

Patritia Augustana.

VIn dicam, an satis est pro nomine signa referre,
Hæc adeo quæ sit scitula, & vnde domo?
Sed seu signa satis tibi sunt, ex vrbe superba est:
Alter cui Cæsar nomen habere dedit.



Seu magis omissis rem vis ambagibus edi,
Augustanæ habitum ciuis, & ora vides.
Quærere parce vltra: è vultu tacitusq; tacentis,
Et roseo tacitè cætera in ore lege.

Fœmina plebeia Augustana.

Vestitu tenui hoc Augustanæ vrbis alumna
Gaudeo, plebeiam innupta locata domum.
Non quia non poßim, libeat si, cultibus vti
Commendent formæ qui mage dona meæ.



Sed quia si me alijs comam exhaurire maritum
Cogar, & infami haud sim caritura nota:
Si soli satago cui debeo velle placere,
Sic illi videor compta, venusta satis.

Augustana virgo.

INgenuo Augustana ferox hoc ore puella est,
Comtibus his, flexis hac ratione comis.
Patriciumq́; ustura procum sic ducere curas
Cessatum ad pulsam gaudet, amatq́; chelyn.



Vrere sed quid te iuuat improba, quo potes uti?
More tibi hic alio conciliandus erat.
Abnuis, & dignam reris te, quam roget? ergo,
Virginitas tua ei concilianda fuit.

Ancilla Augustana.

SIc bis cincta forum peto prospectura culinæ,
Sicq́ foro redeo rursum onerata domum.
Augusta Augustæ qua surgunt templa, puellis
Gratus vbi hic nostræ conditionis honos:

Pellito in nodum tortas cohibere galero
Non flexu errantes liberiore comas.
Et tunicæ extremas limbis bicoloribus oras
Signare, ac cupidum hac vrere veste procum.

Sueuica virgo.

CRinibus intortis Süeuis est cura puellis
Prodire, & nudum cingere flore caput.
Nempe etiam veteres crinem torsisse Sycambros,
Süeuis quîs gens haud res aliena sumus.



Aspice quàm simplex vestitus, cum tamen oris
Gratia sit nulli fortè pudenda minus.
Cultus conueniens illis operosior æquo est,
Quæ nuda metuunt fronte placere parum.

Hic habitus templum est Augustæ adeuntis, abesto
Quisq; foues votis vota aliena meis.
At tu cui studium curæ pietatis, & ardor
In sanctum sanctæ relligionis opus,



Linea in articulis erret, crebroq; recurrat,
Impleat & dextram pagina sacra manum.
Omnia vti facias nunquam sat digna merendo
Persolues domino vota precesq; Deo.

SVmmo vrbs cara Deo, qui te tot dotibus auxit,
Vrbs, quæ, quæ optantur ſingula, iuncta tenes:
Felix nominibus cum ſis, me iudice, multis:
Cùm ſis vicinis inuidioſa tuis:



Vel, tamen in reliquis eſt quo te, vrbs inclyta, iactes,
Præcipuum, his tantis fœmina nata bonis.
Morum vbi maieſtas formæ dum certat, ab illa hæc,
Scilicet, illa & ab hac cur mage amentur habent.

Sponsa patricia Francofurtensis.

HÆccine, Mœne pater, natarum est vna tuarũ?
Ah non: Naiades vestis honore carent.
Vnde domo est igitur, vel qui genuere parentes
Hanc talem, an nobis cœlitus illa venit?



Mœnus adhæc, vrbs est nostras quæ maxima ad vn-
Et meo, Atlantiaci & tanta fauore Dei. (das,
Hacce vel ipsi etiam cœlo sese æquat alumna:
Adspiciasq́; illo pectora digna putes.

Sponsa plebeia Francofurtensis.

PLebeio iungenda viro sic templa frequento,
Non omnes eadem res & vbiq; decet.
Usq; tuæ sortis, sapies quæcumq; memento,
Hoc te Francfurti fœmina nata monet.



Addit & vt pudibunda foris, operosa domi sis:
Exemplo & facias, quod facis omne, suo.
Digna quidē patria hac, & tam claræ vrbis honore,
Quære, quod sancit voce, manuq; probet.

Francofurtana mulier.

HÆc Francfurtanæ est laudata modestia nuptæ,
Per fora velatum, templaq; habere caput.
Adspice simplicitas quanta est in veste, pudoris
Ut multum, Gallæ nil leuitatis habet.



Nempe animi malle has, quàm cultus laude placere,
Ornari comptu quæ potiore negant.
Ut tamen haud captent, animi, non laude placebunt
Tantum, formæ etiam cur cupiantur inest.

Francofurtensis ancilla.

SIc me mandatæ iu uat inseruire culinæ
Francofurtenses natam habitare Lares.
Sic redeo à lanione domum, sic piscibus emtis,
Sic opus ad varios quîs mihi cúmque cibos.



Quos simul imposui patinis illorum in odorem
Cœnat cæli ipso cum Ioue turba suo.
Mentiri censes? quin si coctum ire recuso,
Incœ nata eadem cum Ioue turba suo est.

Ancilla Francofurtensis templum adiens.

HÆc est ancillæ templum accedentis imago:
Francofurtenses Mœnus vbi auget opes.
Adspice vt est vultus tristi grauitate modestus,
Hesternæ reliquum vt nil leuitatis habet.



Per Venerem iures eadem non te ora tueri,
Blanditiesq; vbi sit illa serena roges:
Nimirum studijs heri erant aptata prophanis,
Congrua sunt votis nunc eadem illa suis.

Fœmina plebeia Francofurtensis.

HÆc Francfurtana est ferme illis vestis in vrbe,
Quas iunxit iustis ignis & vnda viris.
Illa quidem censum non exhaustura mariti,
Nec tamen ex omni non bene parte placens.



Adde quòd est habilis, quòd idonea, & apta operã si
Res oblata petat quantulacunq; domi.
Turpe est matronæ præ cultu diuite & auro
Non operi interdum posse adhibere manus.

Virgo patricia Francofurtana.

TVrgidulas ſtrophio quid amas cohibere papillas?
Tam bona res cunctis inſpicienda fuit.
Inuida materies quæ te fortuna beauit,
Multorum vota heu lintea veſtis habes.



Tu tamen ô ſaltem caræ tua pectora matri
Nuda, & clamabit protinus ipſe ſinus:
Jam mea virginitas plenis eſt nubilis annis,
O genetrix, generi cura nec vlla tibi eſt?

Norimbergensis matrona.

HOc habitu incedo festis ornata diebus,
Vrbe hac patricij filia, nupta, nurus:
Quam trepidis submissus aquis Pegnessus adorat,
Noricus & circum cui famulatur ager.



Dic, Mome, anne aliquid de summo vertice summos
In me quod carpas cernis ad vsq; pedes?
Nempe aliquid: neq; enim poteris non carpere, quod (nil,
Carpere quod possis liuidus inuenias.

Patricia Norimbergensis per vrbem itura.

TEmpus, res, locus, & ratio diuersa monent nos
Longa hæc nunc tectis pallia ferre togis:
Syrmate nunc solo, neglecto pallij honore,
Verrere humum, & lætos ducere in orbe choros.



Non mentis domina illa suæ est, quæ in cyclade sese
Prostituit limis per viam itura viris:
Rursum non sapit huic cor notos inter amicos
Si qua domi chlamyde & velo adoperta sedet.

Norimbergensis sponsa Patricia.

LAudanda antiqui cerno vestigia moris,
Consilio, Vrbs, tantum hoc macte, beata, tuo.
Moribus antiquis stabat Romana, nouis mox
Quæ ruit, & pessum res eadem omnis ijt.



Macte ergo: & tu, sponsa, nouo ducenda marito,
Sis, quod es, antiquæ simplicitatis amans.
Felix Patricio quæ nata è stemmate natos
Patricio similes nupta datura viro es.

Norimbergensis virgo Patricia nuptiis ornata.

SIc se patricijs sollemne ornare puellis,
Gemmisq; inductum cingere flore caput,
Ad festos quotiens gaudent incedere cœtus,
Cum socio indixit quos grege pactus Hymen.



Norimbergensis qua se respublica cælo
Tollit, & est populi tota in honore sui.
Perq; fidem, quicunq;, tuam, num cultior vsquam,
Num visa hac oculis pulchrior vlla tuis?

Virgo plebeia Norimbergensis.

SI corpus solidum, succoq; & sanguine plenum,
In pretio est, pretij non mediocris ero.
Exiles, gracilesq; artus sibi fingat Athenis
Nata, vel in populis, Ausonis ora, tuis.



Teutonis ora fugit captatæ iunceæ formæ
Pectora, subductis ipso & ab ore cibis.
Et Norimberga has quæ me produxit in auras,
Forma contentam me iubet ire mea.

Ancilla Norimbergensis.

IMperiosæ istam credas seruire Sabinæ,
Tantum ipso in vultu seueritatis habet.
Brachiaq; à cubito clamant nudata culinæ
Gaudere omnijugum perpetuam inter opus.



Et tamen hæc etiam vincto inter pectore, & ipsis
Prodit, si aduertas, non inhonora genis:
Tales nempe olim famulas vixisse Sabinis,
Dum meruit cælo tollere Roma caput.

A Tergo ætatis iam tempora verna reliqui;
Corde ex hoc nimiæ cedite munditiæ,
Desidia faciem longa vos quærite Nymphæ,
Quarum halant primas lactea colla rosas.



Ipsa operosa domi pueros educere natos,
Et natas satago fingere voce meas.
Officiumq; mihi genetrix quod præstitit, illis
Imputo: easq; eadem cura aliquando manet.

Lipsensis virgo.

LIpsia Germanis non vltima in vrbibus vrbs est,
Virgo vbi sic licitos gaudet inire choros.
Non oblita sui illa quidem, aut oblita parentum,
Vel patriæ, in nulla parte notanda tamen.



Nam ꝙ gemma comas stringit, ꝙ brachia quassant
Armillas auro de meliore duas:
More fit, & censu poscente hunc diuite cultum,
Metiri fas est se pede quenque suo.

Fœmina Argentoratensis.

ARgentinensem sic fertur nupta per vrbem
Ferre gradum, castum sindone tecta caput.
Ecce vt prona solum spectet, vultuq; seuero
Nullum non dignum se minitetur opus.



Sic decet in commune suum adiutura maritum
Quæ quoduis pro se haud ferre recusat onus.
Et quæ gnaua domi natis operata creandis,
Hos facienda eadem, hos quæ fugienda docet.

ILla potens Phœbo Heidelberga, potentior aula,
Sceptra Palatini cui veneranda Ducis:
Ciuili cultu contenta hoc, ciuibus hic sit
Vsque meis sexus deterioris, ait.



Mira fides, sed enim certa: ex quo hoc tempore dixit,
(Ætates & iam fortè abiere decem)
Hæc illa durat gratißima vestis in vrbe,
Cura viris quis est posse placere suis.

COnsulti iuris coniunx, vbi litigat ipse
Cæsar: vbi hoc quantum est litigat imperium:
Spirensis, dico, consulti nupta per vrbem
Sic fero, sed numquam non comitata, gradum.



In cuius cultu si quid mirare, mariti
Debetur meritis hic quoq; vestis honos.
Vestis honos, onus hoc nobis qui imponit, vt illo
Et facere, & memores dicere digna simus.

HOcce induta habitu sacra, hocce prophana fre-
Agrippinensi fœmina nata solo. (quento,
Sic me templa vident ornatam, sic fora, sic ad
Cognatæ visum limina gentis eo.



Dent bona multa illi dI, quæ, dum hac repperit uti,
Consuluit nostræ veste pudicitiæ.
Quæ dum nuda patet nimium, nullo abdita velo,
Dum totidem patitur, vulnera mille facit.

Ancilla Coloniensis.

Virginibus mos est Agrippinensibus ipso
Testari intactam crine pudicitiam.
Vertice nudato & quouis procedere, seu sint
Plebeiæ, seu de nobiliore domo.



Præ reliquis famulas tamen hoc seruare videre est,
Quæ nexis gaudent sic fora adire comis.
Tam bene demirare habitum, & tam corpore succi
Pleno: habet arbitrij quod coquit omne sui.

HÆc verè forma est, quæ vxoria dicitur: olim
Jam laudata æuo, Romule die, tuo.
Forsan & Hersiliam tali nituisse pudore,
Cum rapta in sacrum est, præda petita torum.



Qui decor ingenui vultus? quæ gratia frontis?
Pallada te torto crine videre putes.
Macte bonis generosa tuis, macte ore, virago, hoc
Pignora mox patrio multa datura solo.

Basiliensis matrona.

ITala terra dabit cultas sine more puellas,
Plusq́ satis cultas Gallia terra dabit.
Germanis placet hoc, inter nimiumq́ parúmque
Quod medium, certo temperat ista modo.



Et bene: nam semper medium tenuere beati,
Simplicitas nobis gratior hæc tamen est.
Sæpe minusq́ adeo cura nutrita probantur,
Quam procul in solis arbuta nata locis.

Halenſis Sueuica fœmina.

COmbergi Cocharis pronus quà maxima adorat
Numquam non animo templa futura meo,
Vicinis habitu hoc incedit nupta Salinis,
Halenſi Halenſis conſociata viro.



In qua ceruſſas ſi quis, fucoſq́; requirit,
Fallitur, ingenua hæc talia forma fugit.
Sed caſtum corpus caſta ſi mente requirit,
Ecce iſtam in primæ exempla pudicitiæ.

Franconica VVirzeburgensis fœmina.

QVæcunq; es, mulier, quæ credis ad otia natum
Fœmineum ſexu debiliore genus,
Diſce quid Herbipoli prognata hoc fœmina corbe,
Conſulti coniunx ſit licet illa, velit.



Nempe opere aſsiduo faciendo, & quod iubet vſus,
Siue foris opus eſt, ſiue labore domi,
Gnauis exercenda etiam ſua membra puellis,
Otia ne vetitis pabula dent vitijs.

Franconica mulier plebeia.


NOn te pertæsus Floræ, demitte timorem,
Ad Veneris Zephyrus sollicitabit opus.
Sulcis frons scissa, & facies excocta diurnis
Solibus, ac spurcis pes lutulentus aquis.



Non faciunt Zephyro, nec tu te parte placere hac
Illi, sed gnauo posse labore velis.
Prisca tibi hortorum & duret modo cura, placebis
Hàc, solito vberius & tibi surget olus.

Fœmina Misnensis nobilis in luctu.

HÆc sunt Misnensis nuptæ lugubria, seu vir,
Seu pater est illi, caráve flenda parens.
Sed non cuiusuis nuptæ lugubria, verùm
Nobilior quarum stemmata signat honos.



Vulgus nempe decet quæ sunt vulgaria, nobis
Hac non eximium nil quoq; parte placet.
Sed cultus talis quarum est lugentium, amabò
Qualem hunc nubentum, qui sapit, esse putet?

Thuringiaca virgo.

GRatia quæ formæ hæc, teneris quisve indidit an-(nis?
Hoc hilari mistum cum grauitate decus?
DIne Thuringiacis hoc concessere puellis,
An Genius fausti dona dat ista loci?



Sed seu DI, qui bus est orbis nostriq́; potestas,
Seu Genius fausti dona dat ista loci:
Nunc ego me, Junonis auis quotq́; abstulit Argo,
Quotq́; micant noctu lumina, habere velim.

Silesiaca matrona.

ORnamenta meo non inficianda marito
Hæc sunt, me quotiens mensa aliena vocat,
Tempora pellitus munit de more galerus,
Pallia sunt longis mollia & ipsa pilis.



Unde domo, & cuius quæris sim nam ordinis? oris,
Si nescis, ortam me aio Silesiacis.
Plebeijq; viri non pœnitet, aut pudet: hic sit
Sic mihi dum, haud magnis regibus inuideo.

SPonſa Sileſiacis ornatu hoc dicitur oris
Ire, Sileſiaci nupta futura viri.
Pellitum cuius quid demiraris amictum,
Et ſparſas fluxu liberiore comas?



Quid diadema duplex, ſeu puræ inſigne coronæ eſt,
Quæ puræ eſt merces pura pudicitiæ?
Quæ tibi ſunt viſu noua, quæq; incognita, terra
Sunt ipſis pueris nota Sileſiaca.

Austriaca matrona.

VIr meus ipse sua mihi victum industrius arte,
Vir mihi vestitum est quemq; videre, parat.
Cui meus vt merito de me respondeat ardor,
Sum perrara foris, officiosa domi.



Atq; affixa colo, donisq; operosa Mineruæ,
In commune illum quod pote & ipsa iuuo.
Vulgus ait, dextram si læua, & dextera læuam
Eluat, vtramuis sorde carere manum.

Matrona Sueca nobilis.

INgenui vt vultus, sic est matrona pudoris
Ingenui, & quondam hæc simplicitatis amans.
Vtq; puto Latiæ sic incessere puellæ,
Sed recti donec cura eo in orbe fuit.



Nil super in cultu est, & quod mirere, supersit
Cum nil, nil decori, & passa deesse suo est.
Nata at auis claris, claro coniuncta marito,
Suecia vbi incerto tunditur icta mari.

Lubecenſis matrona.

LVbecum patria eſt: ibi ſic ornata per vrbem
 Incedo rectis nupta ſupercilijs.
Matronam decet hoc nullius conſcia probri
 Quæ ſocij ſeruat iura verenda tori.



Quæq́; abſente viro eſt eadem, præſente viroq́;
 Nec ſcit quid nutu ſit digitiſq́; loqui.
Felicem nimium tali hac vxore maritum,
 Non oneri eſt illi hæc, ſed mage præſidio.

P Dantiſca-

QVis, cui cor ſapiat, Dantiſci neſciat vrbem
Vicino latè reddere iura mari?
Nota eſt illa opibus, celebri notiſsima fama eſt,
Qua domus hæc Phœbi, qua domus illa patet.



Hac ergo in tali, tali, deducitur vrbe,
Cultu, legitimi iura initura tori.
Augendæ pro parte ſua cui dum ſtudet vni hæc:
Crede, viro hoc non eſt nubere, ſed patriæ.

Ancilla Dantiscana.

QVid mirum ancillis si qui incaluisse feruntur,
Sæpe etiam ancillæ cur cupiantur habent.
Pes nudus tunicis contecto plus mouet, & plus
Cerea non falsis brachia aperta bonis.



Deinde an non vultus quoq; habet quo iure putetur
Talis non rigido posse placere viro?
Eia habet, at per nos operetur pura culinæ hæc,
Pelidæ famulus pectora vexet amor.

Ducis Veneti vxor.

ORta salo, at magis apta solo, Venus aurea talis
Anchisæ incessit concubitura suo.
Immò adeo Anchises, libeat si vera fateri,
Quàm Veneri, huic mallet composuisse latus.



Zeuxis, Apellesq́; hàc numero cur mortui abistis
Ad plures? vestro hæc digna colore fuit.
Dux Venete omissis propera ad tua gaudia curis,
Semideum hæc potis est te facere vna Deum.

Veneta Patricia.

ADſpice patricia eximiam de ſtirpe puellam,
  Vſurpaſſe tuo & lumine crede Deam.
Dico patricia nuptam de ſtirpe puellam,
  Hadriacis Veneti qua dominantur aquis.



Adſpice ut incedat Ioue digna per omnia coniunx,
  Adſpice ut incedat vel Ioue digna ſoror.
Saturno nate, hoc deſcendere tempore olympo
  Fas erat, hæc tanti debuit eſſe tibi.

EVadne haud aliter vultum deiecta modestum
Deducta est magni nupta futura viri.
Jlla sed auspicijs, fata vt docuere, sinistris,
Hæc, quod sperare est per rata vota, bonis.



Dic mihi dic, orte in peregrinis gentibus hospes,
Cui sint visa solo plurima, plura solo,
Vidistine aliquid, mage quod iuuet vsq; videre?
Non. vt visa oculis sit Venus ipsa tuis.

Virgo Patricia Veneta.

NOn ego mutandis adeam te mercibus vmquam
Regina Hadriacis quæ dominaris aquis:
Mutandis adeat te mercibus alter, in ostro
Quem iuuet è gemma ducere vina sua:



Dum sic sit, valeant cum gemma & mercibus ostrũ,
Altera cur te adeã, vrbs inclyta, caussa mihi est.
Caussa probanda quidem, sed quam, si scire laboras,
Hac facie inspecta ex tempore scire potes.

Patricia Veneta habitu æstiuali.

ÆStus vbi inualuit, Phœbiq́ flagrantia terras
Excoquit, & calido est posse natare mari:
Tum Veneta hoc gaudet vestitu fœmina, per quem
Auram deficiens speret habere sinus.



Et quia sæpe opus est facto calido aëre vento:
Apta operi huic sumit plumea texta manus.
Ite meæ comites cingamus tempora sertis:
Pæstanas halent pectora aperta rosas.

Veneta matrona.

Vrbs felix, tres quam dI non de plebe tuentur,
Quam Venus & Tethys Mercuriusq́ fouent.
E quibus hic lucro adspirat, gnauoq́ labori,
Successus desit ne suus vnus agit:



Ista vltro fœtas externa merce carinas
Ad te, vt non cupiant, carpere cogit iter:
Illa dat hac multas forma præstante puellas:
Quid plura? omne optãt quod reliquæ vna tenes.

Veneta plebeia.

TAli velo vtor, turgentes nuda papillas
Plebeia in Venetos nupta puella lares.
Fusca tegant aliæ sua pectora, candida quæ sunt,
Spectari vt nostra hæc, libera vestis amant.



De reliquo in morem Afrorum iuuat ire foratis
Auribus in collo & plurima bacca nitet.
I nunc patritijs qui cultus quære puellis,
Plebeio ornatur sic vbi iuncta viro.

Romana noua nupta.

EXplicat vt cunctas volucris Junonia pennas,
Mille Argi auratis turgida luminibus:
Cùm cupit inter aues auium regina vocari,
Aut dominæ vectrix dum parat ire ſuæ:



Talis ego incedo nuper ſociata iugali:
Nupta toro, è thalamo progrediorq́ meo:
Verùm vbi lentus abeſt, cui tam bona pectora com-
Si ſapit his properet baſia ferre genis. (pſi hæc,

Virgo Romana.

ILia talis erat, cum margine Tybridis olim
Bellorum virgo est corpore passa Deum,
Romanam agnosco faciem grauitate serena
Comem, qualis & in virgine vultus erat.



Fortior ipsa suo sexu quæ inde amne natato
Hetrusci absoluit prælia lenta Ducis.
Fallor an ingenium & talis tibi, docte Properti,
Ingeniumq; tibi, culte Tibulle, dabat?

Romana fœmina prostratæ pudicitiæ.

CAsta habitu hoc poterã, cum nõ sim casta, videri,
Ni notam impingat conscia Roma notam.
Lingua proterua petit, mens poscit lubrica, corpus
Cuiuis nocte patet, luce patetq; meum.



Basia consertis aptè insertare labellis,
Illicibusq; viros frangere luminibus,
Posse meũ est, ignem hunc horrens accende, calesces
Plus satis, hoc nulli ianua nostra negat.

Neapolitana matrona.

(det
NOn malè Graia istis urbs prima ab origine gau-
Cultibus, hos siquidem nunc etiam Hellas amat.
Nam quod velatur facies per strata viarum.
Nuda domi domino quæ patet usq; suo:



Iudicium soli est me deseruire marito,
Arbitrium cuius cur alienus agat?
Vidit te proles, Lucretia casta, Superbi,
Teq; simul vidit perdidit, & periit.

Virgo Neapolitana nobilis.

PArthenope quondã, noua nunc vrbs dicta Camœ-
Qua non Parnaßi sunt iuga grata magis: (nis
Virginea vrbs, inquam, studijs notißima Phœbi,
Vera Heliconiadum, digna Marone domus:



Me qualem cernis dias has virginem in auras
Edidit, & comptu hoc posse placere putat.
Nescio quam placeam externis, nec scire laboro,
Hoc scio me ciui posse placere meo.

Florentina matrona.

ME, Florentinus se, coniuge iure beatum
Censet, habent mores, quod decet omne mei.
Forma stata est, qualemq; vocant vxoriam, in ore
Mistus habet grata cum grauitate lepos.



Pectora nuda patent, soli at tangenda marito,
Exesto alterius dextra proterua procul.
Talis credenda est Lucretia scilicet olim
Jn Collatini basia isse sui.

Virgo Florentina.

HOs florens flores Florentia, flos etiam ipsa
Et verus quot sunt vrbium ocellus, habet.
Carpere quales si fas sit mihi in hortulo amorum,
Quem Venus ipsa suis sæpe rigauit aquis:



Non ego vel Cæsar, vel Iuppiter esse laborem,
Iura licet populis ille det, iste polis.
Sed dicam regum maiestas cede, Deûmque,
Hæc regem facere, hæc est potis vna Deum.

Mediolanensis nobilis matrona.

EX vultu mores si fas est colligere, hæc est
Os oculos, animum, fœmina digna Deo.
Frons maiestatis sic toruæ vt tetrica non sit,
Cur metuatur habet, cur & ametur habet.



Gestus non aliud quàm spirans grandia, mentis
Dat testem, vt quæ nil quod triuiale petat.
Sed quales rear hac vultus ingente virorum,
Fœmina vbi hos animos, hos habitusq́ gerit?

Virgo nobilis Mediolanensis.

VOs quibus externas volupe est gratũq; per vrbes
Errare, & vitam viuere in exsilio,
Vos, terras alio mutantes sole calentes
Potarunt Nili quos orientis aquæ:



Dicite, idem vt cunctis ego dicam millibus, orbe hoc
Quot sunt, orbe immo quotq; alio, atq; alio.
Vidistisne aliquam quamcunq; in gente puellam,
Hæc cui non ipsa certet & effigie?

Ferrarienſis nobilis matrona.

ATtrahit vt ferrum magnes, Ferraria ſic quam
Dat, dura emollit corda adamante magis.
Crine viros aurante ligat, quæ rumpere vincla
Non potis eſt quiſquam, non potis ipſe velit.



Emicat ex oculis fulgor, ceu fulmine tacta,
Quo iuuenum attonita it neſcia turba ſui.
Nec ſatis his pollere bonis, quo gratia maior
Sit formæ, hunc cultus talis honore iuuat.

Mantuana

Mantuana nobilis fœmina.

QVid primum, quid postremum fas dicere? talis
Incessit, saluo at Laodamia viro.
Quid tamen his opus est, quas gestas, bella catenis?
Crede, aliud coniunx quo teneatur habet.



Certantes auro, & positi multa arte capilli,
Nodatæ & tendunt retia mille comæ.
Quis laqueis non ille velit, non possit ab ipso
Exolui, solito soluere cuncta Deo.

Veronenſis fœmina.

VT taceam clamant capitis geſtamina quæ ſim, &
Vnde domo, in vultu cætera & ore lege.
Ore, ipſi quo ſim non adſpernanda tonanti,
Si conſueto homines nunc quoq; more petat.



Ad ſpeculum talis prodibat comta capillos,
Comta genas, niueos ſemiadaperta ſinus
Julia non tunc cum patri placitura veniret:
Iret at Agrippæ cum placitura ſuo.

SI modò fas petere est, si non est, diua, molestum,
Qua nobis cœli ex parte benigna venis?
Tramite quo ad terras magno descendis olympo?
An quo & ad Anchisen Cypria sueta suum?



Sic, ô, sic certè est, PatauI sed mœnia cur nam,
Cur placita ante alias sunt tibi, Diua, domos?
Hæc ego: cum motis leuiter visa ista labellis
Dicere, Juno meum hic quæro relicta Jouem.

LInguæ in melle sitæ sunt harum, dulce venenum,
Et suauem sapiens effuge amaritiem.
Ah quotiens dices, hic si te ceperit hamus,
Hei mihi libertas vitaq́ pristina vbi es?



Nequaquam at dices. captus mage & impenetrabis
Vltrò te in positas retia rara plagas.
Orabis multis onerari & colla catenis,
Pluraq́, cùm tuleris plurima, ferre velis.

Vicentina nobilis matrona.

Circe aliqua, Æëta aut prognata potentib. herbis
  Attineant tepidos in sui amore viros:
Gramina virtutes mihi sunt, mihi gramina mores,
  Lausq; illibatæ pura pudicitiæ.



Qui ego non metuam ne non retinere maritum
  Eualeam, si illum Iuno vel ipsa petat.
Fors dices, stulta est nimia hæc fiducia, scin qui?
  Nulla probata viri de probitate timet,

QVid te nympha colis? quid comptos pectine crines
Fingis acu? in certa quid statione locas?
Deniq; quid tunica vestitam incedere Coa
Te iuuat, & longa cyclade verrere humum?



Crede mihi quamuis pelluceat illa, nec obstet
Multum, quin veris conspiciare bonis.
Nuda tamen positaq; potes plus veste placere:
Quid, formosa, rubes? non mihi, dico viro.

SI tibi mandata eſt pingendæ cura puellæ,
Quæ formæ ante alias ſit bonitate ſuæ.
Jtalicam hanc Nympham ſpirantem crede figuram,
Exemplumq; tibi hinc, non aliunde pete.



Jn primiſq; oculos, pictor, defixus adora,
Dulcia amara ex quis ſpicula torquet amor.
Poſſe negas contra hæc defigere lumina lumen?
Nempe etiam à ficto hoc vrier igne times.

Matrona Bononiensis.

NOn eadem ætati cuiuis ſunt congrua: vergens
Jn ſenium hunc habitum conuenienter habet.
Bella, venuſta, procax, tamē vt memor vſq; pudoris,
Gaudebam à populo prætereunte cani.



Et digito oſtendi, attonitus cùm diceret, hæc eſt
Quæ facit in duro me mori amore procus.
Laude placete iſta iuuenes nunc, illa fuere.
Eheu quàm rarum, quàm breue forma bonum es?

Hispanica matrona.

NAta vbi tergemini laudantur pascua regis
Nupta cothurnatos gaudet habere pedes.
Gaudet & hoc habitu, Galla at qui iudice non sit
Contendi dignus, Gallica palla tibi.



Dicet idem Ausoniæ quacumq; ex vrbe, Britanno
Dicet idem, & nostro nata puella solo.
Deniq; dicet idem Germana, & quidquid vbique
Nympharum est, ipsi sic tamen ille placet.

Fœmina nobilis Anglicana siue Britannica.

PRaxiteles Venerē, vt nata est, cum pingere vellet,
Misit ei pulchras Græcia tota suas.
De quibus eximias posita sed veste puellas
Exempla ad clarum stare coegit opus.



Nec malè, vestitam Venerē at nunc si quis amabit
Praxiteles recta ducere posse manu:
Matronæ artifici studio exprimat ora Britannæ,
Cernere quæ est, voti & credite victor erit.

Matrona Anglica Londinensis.

Est vrbis nostro diuisus qui mari ab orbe
Præda diu Pictis Saxonibusq́ fuit:
Nomine nunc vno at dicti gens tota Britanni,
Hac vbi patriciæ it fœmina veste domus.



Ad Tamesim cultu hoc Londinensemq́ per vrbẽ
Ambulat, hoc ipsos gaudet inire choros.
Et non immeritò: quid enim non diuite dignum est
Censu in eo, & roseis, quis micat illa, genis?

Gallica matrona nobilis.

Credite Troiana, Galli, vos stirpe creatos,
Ibat & ad Phrygum sic Simoenta Venus.
Quisquis es in facili, hanc qui duxisti ære figuram,
Culta vbinam est oculis Cypria visa tuis?



Res operosa fuit, fateor, nudam editam ab vndis
Pingere, neglectis colla per vda comis:
Res operosa mage at comtam sic pingere, qualis
Vel patrem ex ipso deuocet illa polo.

FElix quem virgo dignabor Gallica amore,
Sed non plebeia virgo oriunda domo.
Ille, inquam, felix, & terq́ quaterq́ beatus,
Complexum cuius noster amabit amor.



Ante torum patrui Hennæis in vallibus ibat
Filia sic carptum florea serta Jouis.
Parua loquor, talis cum sola sororia fratri
Pangeret oscula adhuc, puraq́ Iuno fuit.

Matrona nobilis Parisiensis.

QVid me defixis oculis, quid mente tueris
Commota, & suauem ducis amariciem?
Æquales inter tali spectabilis ore
Incedo, festis sic sum operosa choris.



Ambrosiumq́ spirant quà quà mēbra inclyta odorē,
Dulcimelle etiam dulcius ora sonant.
Fallor apis fieri an velles, roseisq́ labellis
His miscere tuos qui legis ista fauos?

Matrona nobilis Lugdunensis.

IN sexu meliore velut turpißima quondam
Res habita est, mitris si redimicla forent,
Si tunicis manicæ, sic matronalis habetur
Econtra hic habitus, & mihi iure placet.



Nam quod molle viris eneruatumq́ vocatur,
Omne decens nostro id ducitur arbitrio.
Quidquid id est, totam me à vertice cerne vel ipsos
Vsq; pedes, aliquam & dixeris esse Deam.

Lotharingica matrona nobilis.

NOn ego plus vestem, quàm farctum vestis amare
Sueui, longè animo sit furor ille meo.
Sed tamen vt farcto vestis, sic veste moueri
Posse puto hac Curij frigida corda senis.



Vt decet en auro lucens gemmisq; capillus,
Vt cinctus? rugis cyclas vt ipsa suis?
Quisquis es hac tali frueris quicumq; puella,
Crede mihi inuidiæ non alienus eris.

Virgo

Virgo Burgunda.

Sedibus æthereis gemina deuecta columba
Spectatum terras venerat alma Venus:
Iamq́; oculis gemini partes lustrauerat orbis,
Oppida iam Cypri, iam nemora Idaliј:



Nos quoq; cum vultu non indignata sereno
Respicit, in reliquis cernit & effigiem hanc,
Protinus ac restans, ducto & per singula visu,
Vestitam adspexit me hic vbi sculptor ait.

Matrona Belgica primaria.

VEstis cuiq; sua est, nos nobis quod decet omne hoc
Carpimus, ex ipsis vsq; vel Armenijs.
Nec placitum cultum semel vsq; tenemus, at anno
Qui gratus fuerat mox odiosus erit.



Quem morem si quis miratur, cogitet orbis
Quod placet hic varias hoc facere omne vices.
Cernere semper idem, vt sit res gratissima, tandem
Est senio, alternis illa vel illa placent.

Belgica virgo.

SI tibi Flandrensem volupe est spectare puellam,
Et nimius patriam est eius adire labor:
En tibi præsenti præsentem: at chartea dices
Hæc est, nimirum hanc spem dat habere liber.



Chartea tota quidem est, sed formã quæ ore professa
Nudo & aperto, haud nil quo capiaris habet.
Cur capiare tamen? satis est potuisse videre:
Quisq; sapis dulcem hanc effuge amariciem.

Est Brabantinæ, quam demiraris, alumna
Terræ, vbi habes pelagi cernere in amne vices.
Quam patriæ quotiens spatiantem margine ripæ
Seu formosa Tethis, seu Galatea videt:



Protinus æquoreis redduntur fluctibus, & se
Humano vinci posse nitore dolent.
Vllaq́; post quauis certet de gente puellæ huic,
Cui censu cedunt de potiore Deæ?

Hollandica seu Batauica fœmina.

AVro, argento, ære, aut mutantis mercibus hæc est
Mercem alijs, socio fœmina iuncta toro:
Rhenum vbi purpurei dulcem contristat amaror
Æquoris, & versis currere cogit aquis.



Sic visura suas, cognatas ire per vrbem
Cernitur, & vultu cuncta hilarare suo.
Vultu, mille nota quem de meliore lepores,
Quemq; triga insedit cum Charitũ alma Venus.

PRodeo sic leuiter positis ancilla capillis,
Belgica vicino quæ iacet Oceano.
Neue morer dominam, genus irritabile nam sunt
Hic dominæ, culta hac sum ratione satis.



Quid ve adeo prosit fumosæ addicta culinæ
Si formam certem velle iuuare meam?
Mercata faciem quærant sibi fraude puellæ
Patriciæ, ipsa ego vel sic sum operosa nimis.

Fœmina Aquisgranensis.

ANte alias habuit caram quam Carolus vrbem,
Dux quot sunt, quot erunt, Carolus ille ducũ:
Romani imperij vrbs non vltima, quæ diadema
In regnaturum est ponere sueta caput:



Hæc patria est: hic sunt vir, nati, & vtrinq; parẽtes,
Quîs vestis ratio hæc omnibus vna placet.
Et curem, an, quæ tot caris cultura probatur,
Nescio quo hanc veniens hospes ab orbe probet?

SCilicet, antiqui Agrippina Colonia, moris
Te seruantem etiam hac parte, beata, doces,
In qua sacratas cum sic ducatur ad aras
Acceptura, suam & sponsa datura fidem:



Pectora aperta illam sic te monstrare marito
Velle reor, iusto vt consocianda viro,
Hoc sciat exemplo, nil illum clam sibi, habendum
Res semper plena hac suspicionis erit.

Fœmina Belgica Flandra.

FOrmosa vt Pallas, Juno & formosior illa
Vincuntur, præsens si siet alma Venus:
Belgica sic alias pulchras formosior exit,
Cum venia quod sit Ausonis ora, tua:



Pace tua quod sit, Germania, Gallia, quæq́;
Diuideris paruo terra Britanna mari.
Ceditis, an dicenda mihi sub iudice caussa est?
Sit sanè, in nostro dummodo & hocce foro.

Matrona nobilis Hungarica.

Militiæ meus aßiduè belliq; , domi ſed
Vir rarus, ſi non, iam hic mihi, fallor, erit.
Contemplare ut me deceat quo inducar amictus
Hic ſatis, ut poſitæ non ſine lege comæ:



Venturo cupio nam dum me ornare marito,
Vix munda eſt oculis munditia ipſa meis:
Dignus & ille foris ſexcenta incommoda dum fert,
In placito qui ſe recreet ore domi.

Bohemica Pragensis fœmina.

Hic in regali Praga notißimus urbe
Est habitus, quibus est iam modo nota Venus.
Simplex confiteor, pro re, censuq́; domoq́;
Ille tamen, socij & pro ratione viri.



Plebeio qui cum natus sit sanguine, plebs &
Ipse quoq́;, ac satagens reddere cuiq́; suum:
Polcapital faciam, si in cultum vertere tentem,
Quod sudore suo comparat ille, meum.

Bohemica matrona.

PErpetuæ cingunt quæ regna Bohemica sylvæ,
Clauduntur muris & veluti illa suis:
Vergentis matrona æui iam exosa choreas,
Auersans gratum quidquid & ante fuit,



Sic ornata satis prodit, siue illa petitum
De veteri egreditur vina meraca cado,
Siue famem sedent quæ emptura obsonia, mores
Nempe hesterna alios atq; hodierna petunt.

Polo-

Polonica matrona.

SIue domi eſt, ſiue eſt peregrina per æquor auectus
Ligneo equo impoſitum, vt nauita mutet onus,
Qui mihi gentili datus eſt de plebe maritus,
Regia qua princeps ſceptra Polonus habet:



Hoc cultu incedo, valeant diuerſa ſequentes:
Qui modus in reliquis, hac quoq; parte iuuat.
Nempe ipſa abſumam rem, rem dum quærere quauis
Vir ſatagitq; foris, vir ſatagitq; domi?

Liuonica fœmina.

OR natu hoc nostris si qua in regionibus iret,
Quos risus populo prætereunte daret?
Non quia dedeceat nimium, cum regia res sit,
Iudice me, augusto hoc vestis honore tegi:



Sed quia rara solent stupidi per singula vulgi
Primore errantes ore ciere iocos.
Rara, inquam, nam si longinqua adiecero, in illis
Non sunt, longinquo haud pallia trita loco hæc.

Liuonica fœmina primaria.

VSurpanda tuis pedibus Liuonia non est?
At natam certè hac cernere gente licet.
In qua si ingenuum externa mirabere vultum,
Edita non vili stirpe puella fui.



Hocq́; viro sociata habitu de more parentis
Utor, fortè etiam deinde futura parens.
Nec mihi turrito capite est prodire pudori,
Si iure arbitrium est in sua cuiq́; suum.

Liuonica matrona ex nobilitate.

QVi risum tenui tabulam dum inspecto priorē, hac
Quam credunt alij haud ridiculam esse minus,
Hic modico fateor diduxi labra cachinno,
Velatum cernens hac ratione caput:



Qui modus extremus ornatus si esset in Indis,
Caussa admirandi tam peregrina foret,
Orbe sed in nostro tali cum fœmina cultu
Gaudeat, inuiti risus in ora venit.

Moscouica fœmina primaria.

MOscouicis mos est vestem hanc gestare puellis,
Quarum iam puppas dextera Cypris habet.
Pellita in qua quod sunt pleraq;, sic rigor orbis
Illius, & Boreæ subdita regna iubent.



Cætera, colligere est quod de præsente figura,
Grata satis merito commoditate sua est.
Commoditate, aio? imò & maiestate decora est,
Qualem vix similem Gallia culta dabit.

Camilla Turcici Imperatoris filia.

Patre ferox, & patre potens hoc dicitur ore
Inter fœmineos ire Camilla choros.
Non ea Amazonio quæ prælia more Camilla
Dum ciet, & Turno pro duce bella gerit,



Maſculam ab ore animam tenues efflauit in auras:
Turcarum ſummo at nata Camilla duce.
Ecce feros animos ſexu vt non occulat ipſo:
Di bene, pro puero hæc nata puella fuit.

Scortum Turcicum.

NEmirare meo si cultu superuenio auro,
Et reliquis mundus quæ muliebris amat,
Quamuis de nostra externa vel gente puellam,
Sic it amatori quæ placitura suo est.



Virgo oculis si compta suis, & sordida non est
Si qua maritale est ferre sueta iugum:
Laudantur, sed me fas est curatius vti
Forma, incertus vt hac detineatur amor.

Fœmina Peruuiana.

IN dos dum medijs quærit Pellæus in Jndis,
Re populi infecta seditione sui,
Nequiquam laudem hanc æuo certauit auorum
Præripere, vt tantas orbi aperiret opes.



Peruuiæ quantas nostri in regionibus, aurum
Gemmarum & vulgo quæ genus omne ferunt,
Nunc hominum nuper reclusere vsibus, vnà hoc
Cum vestis sexu in deteriore modo.

Filia regis erat, formaq́ & moribus esse
Digna ante æquales filia regis erat.
Intacta nobis quæ virginitate præiuit
Et socij voluit spernere iura tori.



Non quia damnaris iusti connubia lecti
Error qui multos perniciosus habet:
Sed quia coniugij censebat lege solutas
Liberius summo posse vacare Deo.

Lineâ me decet, & cineri conformis amictus:
Quæ sapis, exemplo viuere disce meo.
Disce vacare hymnis, verbisq; precantibus vti
In magni laudes semper & ire Dei.



Est aliquid pedibus terere hæc, quæ mundus adorat,
Quæq; optat votis cætera turba suis.
Brigida nostri auctor gaude ordinis, & faue olympo,
Nunc quoq; vestitu quæ te imitentur habes.

Ordo monialium albatarum velis atratis.

Candida tota mihi est vestis, niueoq; colore
Testor & ipsa meæ dona pudicitiæ.
Solum atro tegitur velo caput: immemor vt ne
Sim sortis, cuius me iubet esse Deus.



De reliquo aßiduæq; preces, hymniq; choriq;,
Et psalmi nostrum sunt ferè semper opus.
Da Deus, vt quæ te celebramus supplice cantu,
Scandamus cœli templa beata tui.

Ægrotis mercede ſeruientium ordo fœmineus.

Atrata eſt veſtis, color eſt hic aptus amanti
Ægroto medicas arte parare dapes.
Duraq; res fateor ſemper mœrentibus eſſe
Præſto eſt, ſed Chriſti hæc omnia vincit amor.



Ætherio ille dabit mercedem debitam olympo:
Junget & à ſanctis funere virginibus.
Felices quibus eſt fas immortalia apiſci,
Illa, quæ exiguo tempore ſudat ope.

Beguina.

Vestales olim sacris per lustra peractis
Bis tria, se poterant consociare viris.
Namq; decem primos discebant rite per annos,
Quæ facerent annis sacra quoq; inde decem.



Quæ restant per lustra duo stata festa docebant,
Et iam legitimi fas erat esse tori.
Nubere nos quouis momento, qualibet hora
Possumus, & legum libera turba sumus.

VIrginitas illæsa mihi est, sunt virgine mores
Digni: conueniens moribus estq; pudor.
Dißideatq; adeo ne vestis moribus, alba est
Ipsa quoq;, & niuea simplicitate placet.



Nimirum intactis aptus color ille puellis:
Quis vacuo volupe est vsq; iacere toro.
Dum te sponso olim potiamur, Christe, petito,
Cuius non merito est, iureq; vilis amor.

POEnitet ô si quid miseris modo creditur, ipsum vt
Velatum hoc clamat qua licet vsq; caput.
Pœnitet anteactæ quocunq; in crimine vitæ,
Vita iamq; iuuat nos meliore frui.



Nec quia vestitus quauis est candidus, & nos
Integræ pura virginitate sumus:
Sed notat hic habitus mundatas crimine ab omni
Olim iam meritis nos fore Christe tuis.

CLara fui exemplum, Francisco edocta magistro
Qui Franciscanis iura sacrata dedit:
Hoc habitu incedendi illis, quæcunq; perosæ
Mecum, quæ in precio caraq; mundus habet.



Arderent vni semper seruire tonanti
Huic cuperent noctu huic posse vacare die.
Hà miseræ, quæ non exemplo spernere nostro
Audetis vanas quas habet orbis opes.

SAcris hoc habitu incedit deuota sacerdos,
Virgineus tenero cui nitet ore pudor:
Compositam mentem nimirum exornat amictus
Compositus, positæ & non sine lege comæ.



Longa puellares nec dedecet instita gressus,
Quæ niueo cur sit vellere texta rogas?
Simplicitatem animi demonstrat labe carentis,
Et castæ pandit dona pudicitiæ.

CORRIGENDA.

C 4. *Versu 3.* *nostræ pro nostra.*
F.3. *versu 4.* *Sueuica pro Sueuis.*
K.2. *versu 2.* *sedulitatis pro seueritatis.*
M.3.*Inscriptio* *Basileensis pro Basiliensis.*
Q.2. *versu.6.* *visa salo plurima pro visa solo plurimæ.*
T.3. *versu 7.* *quacumq; pro quamcunq;.*
V.4. *versu 8.* *ferre voles pro ferre velis.*
Z.2. *versu 5.* *Ambrosium pro Ambrosiumq;.*
S.1. *versu 7.* *accede pro accende.*
d.4. *versu 5.* *extremis pro extremus.*
e.3. *versu 1.* *si culta pro si cultu.*

FRANCOFORTI
AD MOENVM, IMPENSIS
SIGISMVNDI FEYRA-
bendij.



M. D. LXXXVI.






I 5
8 7